







1  
19  
20  
21  
21  
22  
23  
23  
24  
25  
26  
27



1712.

19<sup>a</sup> = <sup>2</sup> Hornius, Hierp. Hierp. : De intercessionibus. 2 Febr. 1712

: 1735

20. Fanus, Joann. Antidivus : De quatuor monarchiis

21<sup>a</sup> = <sup>7</sup> Leysius, Augustinus : De assensibus iurisconsultorum.

21<sup>b</sup> = Leysius, Augustinus : De assensibus iurisconsultorum

1726

22. Laescherus, Ant. Goth. : De anima hominis materia  
insensibile

22<sup>a</sup> = Laescherus, Kaspar : Chiliasmus descriptus et rejectus.

23. Pelavikins, Fr. Steph. : Eloquentiam habentibus  
... copulata

24<sup>a, b</sup> Planerius, Jo. Andrea : Novum de origine humanae  
propagationis veritatem ... probatur.

25. Schroeter, Paul. Christianus : De furore ab aere maroto  
in Jodem Furo

26. Weidler, Fr. Fridericus : De secessu physica

27. Wunder, Fr. Basilius : Ord. Jus. . . Decanus : l. s. sed  
D'opulentiore Fr. Friderici Lampii in Jodem

24<sup>a</sup> Wernker, Fr. Balth; Ord. jur. -- Decanus & l. s.

(et Disputationum in omni, Johannis Christiani Linderb  
iurist)

26. Wernker, Fr. Balth. ... Ord. jur. -- Decanus. l. s.

(et Disputationum Finny. Pauli Christiani Schroeteri  
iurist)

29. Wernker, Fr. Balth; De juramento dalsedum. 1775

30. Zimmermann, Fr; De congiarid.

als

in

+

1  
2  
3



*[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or letter.]*

13.





1712 23 <sup>8</sup>/<sub>2</sub>

2. B. V. C.

AUSPICIIS RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
SERENISS. PRINCIPIS REGI

FRIDERICI AVGVSTI

**ELOQVENTIAM  
TRIBUNITIAM**

PRAESES

M. JO. STEPHANUS PILARIKIVS,

VITEMBERGA SAXO

IX. JD. QVINCTILEIS

A. R. S

CIO 10 CC XII.

Exponet

RESPONDENTE

CHRISTIANO FRIDERICO DIETRICO

Hundshubl. Misn.

H. L. C.

---

VITEMBERGAE SAXONVM  
PRELO SCHROEDERIANO





## PRAEFATIO.



Ampulum & augustum est ELOQUENTIAE nomen, utpote cum ratione & oratione Homines a brutis animantibus distingvantur, eoque propius nos ad DEUM accedere judicarunt Veteres, quo dicendo sumus excellentiores. Index est & testis ingenii ad magna quævis nati, *loquendi facultas* qua & homines ab hominibus separantur, & alii aliis feliciores habentur. Plurimi Mercurio tribuerunt *Eloquentia* ortum, *cujus* officium præcipue in eo positum fuerit, ut *eam*, quam ceu Legatus commentitii Deorum principis, Jovis, a Jove dono acceperat, *loquendi artem* cum hominum genere communicaret. Nos sublimius veriusque penetrantes Principium, eandem ab ipso immortali DEO, qui uti Princeps & Autor est omnium rerum, ita perennis & inexhaustus sapientiæ fons, ortam & natam rectius commendamus. Contigit hoc benignitatis divinæ donum *sanctis Dei Viris*, quorum sæpe alter cum altero inveniendis argumentorum ponderibus, & gravitate non magis, quam suavitate sermoni concilianda certat. Quantum exiterit *Moses*, sacra docet pagina; nec tamen ipse vitium lingvæ dissimulat, sed ob *dicendi facultatem* extollit Aaronem. Est quidem inane & vituperandum eorum studium, qui cuncta plaustralibus & sesquipedalibus verbis, quæ Græci eleganter *ἀναξίαρα ῥήματα* appellant, exponere student, & inflato genere Orationis omnia proponenda ducunt. Nihil vero exinde decedit laudi *Eloquentia* ad optimas rationis Regulas compositæ, quam sapientissimus quisque colit ac veneratur. Nec etiam illud *Eloquentia* miraculum & oraculum *Paulus Apostolus*, commodam vocum structuram in scribendo neglexit, aut vim argumentorum

ignoravit, dum ita omnem humanæ sapientiæ opinionem deprecatur, ut afflatui *divini Spiritus* omnia accepta ferat, eoque magis diuinissima illa Eloquia evehat, quo plus viribus rationis derogeret. Quemadmodum vero *Flamen* DEI in consignandis Libris divinis ad unius cuiusque Scriptoris genium, salva in reliquum Majestate, descendit: ita, licet divinissimus ille orator suam quoque *eloquentiam ab eloquentissimo Magistro* edoctus fuerit, vel unica tamen Periodus satis testatur, fundamentis artium & cumprimis *Eloquentia* ipsum & prius, quam ad frugem rediret, fuisse instructum. Non enim plane invidit Numen cœleste deterioris, quam Prophetarum erat, sortis hominibus donum *Eloquentia* revera cœleste, ut illud vel in ipsis Gentilibus summopere admiremur. Immortalem sane nominis gloriam non modo veteres Græci Oratores verum etiam Latini sunt consecuti. Quo plura vero ceteris reliquit literarum monumenta Tullius, ex quibus ceu oraculis nostra quoque ætate instituuntur Oratores; eo rectius sentimus in eundem omnium Rhetorum & Oratorum virtutes confluisse. Totum enim se ad imitationem Græcorum conferens non pluvias aquas collegit, ut ait Pindarus, sed vivo gurgite exundat dono quodam providentiæ genitus, in quo totas vires suas *Eloquentia* experiretur. Omnem iste ingenii vim ad Patriam ornandam, Rempublicam tuendam, Populumque R. defendendum adhibuit, cuius unanimi quoque suffragio Reip. præfectus est, fascibusque Consulis condecoratus. Sicut vero, ut Bohuslai Balbini verbis utar, Ciceronis ingenium par equidem fuit Imperio R. Tullius tamen fuit, nec omnis, nec omnia: Ita nec alio ullo tempore defuerunt, qui vel amulatione gloriæ, vel Rempublicam juvandi causa animum ad *Eloquentiam* appellerent: Testes præter ceteros adduco *Tribunos Romanorum*, qui dum se dicendi arte a plebe discernent, a plebe hono-

honorum quoque splendore distincti sunt. Hi omnem pariter ingenii vim ad Patriam extollendam, Republicam tranquillandam, plebisque libertatem & salutem tuendam contulerunt. Hanc *Tribunitiam Eloquentiam* pendere animum induximus. Cui labori ut faveat *Lector*, benevole rogamus. Illud ipsum vero institutum quo prospere cedat, TER SANCTI NUMINIS auxilium opemque imploramus!

S. I.

**D**um *Eloquentiam Tribunitiam* exponendam suscepimus, non diu detinebinur in etymo vocis *Eloquentie* evolvendo, ut illis facile accedamus, qui ab Elocutione Natales ejus deducunt, quæ juxta *Bekkeri Elbingensis* & aliorum calculum principem locum in omnibus Rhetoricæ partibus obtinet. *Quippe parum esse argute invenisse, parum bene disposuisse argumenta, nisi eadem aptis & idoneis verbis, Figuris & sententiis ad audientium aures decebas*, idem graviter differit libro de Arte Orator. P. I. Cap. 3. P. *Sigism. Lauxmin* cum Pictore confert Oratorem, *Praxeos Orat. Cap. 8.* Pictor rudem initio ducit formam, ita tamen, ut singulis partibus suis quisque locus, sua figura, certa que, licet obscura adhuc & deformis, maneat proportio: Deinceps colores applicat, quorum accessu prima minime deletur dispositio, nec perit, sed lux & veluti vita eidem accedit. Pari ratione Orator rudi quasi penicillo singula Orationis membra delineat, argumenta acute invenit, inventa apte disponit, disposita vero tandem eloquitur, & sic omnia vivis quasi coloribus depingit. Quamquam igitur latius pateat *Eloquentia* Elocutione, nec utramque confundere fas sit; ab hac tamen, ceu nervo omnis Orationis illam nomen accepisse ambabus largimur manibus. Unde sua sponte fluit: *Eloquentiam* omnem commodius describi vix posse, quam per copiose loquentem Sapientiam, ut, qui sint *Eloquentes*, simul sint

& sapientes, qui ita copiam verborum sapientiæ artibus instruunt, ut eorum dicta velut mera esse Oracula credantur.

§. II. Σύμβολον alterius Vocabuli seu notatio a *Tribunis* petenda, horum denominatio a *tribubus*, quarum mentionem mox faciemus; dummodo Definitionem præmiserimus. Est autem *Eloquentia Tribunitia* vis ac facultas dicendi, qua poluit olim *Sacro Sanctus Romanorum Magistratus, Tribunatus* nimirum plebis, carens formis blanditiem aliquam animique mollitiem sapientibus, iis vero, quibus auctoritas collata indies cresceret & augetur, plena, ad Optimatum tyrannorum sæpe more sapientium dominandi luxuriam restringendam, Reipublicæ tranquillitatem afferendam & custodiendam, plebis cum primis salutem & libertatem tuendam, omnemque diram servitutem amoliendam directa.

§. III. *Tribus*, unde appellantur *Tribuni*, a numero ita dictas fuisse præcipui Antiquitatum indagatores propugnare, eo quod tres tantummodo sub initium earundem fuisse a Romulo constitutas omnes largiuntur. Quæ sententia illam non tollit, qua *tribus* a *tributo* dando appellatas fuisse *Africanus Peditianus in act. 3. in Verrem, Livius &* cum his alii quamplurimi affirmant. Erant autem *tribus* partes P. R. distinctæ locis in urbe diversis & regionibus undique circum urbem per Italiam dispersis.

§. IV. Non vero in ternario numero constitit *tribuum* divisio, sed adeo aucta est, ut ad triginta quinque tandem excreveret, quarum XII. mentionem passim injicit *Cicero*, reliquas vero viginti tres addiderunt *Carolus Sigonius, Onuphrius Panvinus, Aldus Manutius, Raphaël Volaterranus, Wolfg. Lazius, Alexander Donatus, Jac. Stör, Wilh. Godelevius* aliique. Enumerare nomina singularum *tribuum*, denominationes, variasque appellationes evolvere Historicorum est, non nostri instituti.

§. V,

§. V. *A tribubus Tribuni* nomen suum sortiti, qui non  
unius ejusdemque generis omnes fuerunt. Alii enim dice-  
bantur *Tribuni erarii*, quos magnopere commendat Cicero  
*Orat. IV. in L. Catilinam Cap. 7. it. Orat. pro C. Rabirio Cap. 9.*  
& alibi; alii *Celerum*, alii *militum tribuni*, quibus neglectis  
Tribunorum plebis memoria juvat, quæ ob communicatam  
simul illorum *Eloquentiam* jucundam se nobis reddit, cum  
amplissimos in illis habeamus, quos miremur, Oratores. Qui-  
nam fuerint *Tribuni*, & quam provinciam ornarint tradit  
*Boxbornius in Commentatione ad Florum*, ubi dicit: *Tribuna-  
tus est plebejus Magistratus in Republica Romana, quovis a-  
lio major & Sacro-Sanctus, eum in finem institutus, ut plebs  
tutior esset contra vim & injurias Consulium ac senatorum, ho-  
rum decretis, legibus & consiliis intercedendi, ac injurias  
plebi inferentes precependendi, inque carcerem mittendi in-  
victam habens auctoritatem.*

§. VI. Hinc clare patet, muneri Augusto usque eo con-  
trarium fuisse blando sermonis genere uti, ut potius gravi-  
ter semper & ad auctoritatem conservandam dixerint: Nun-  
quam enim argumentis submissionem quandam prodenti-  
bus vel Consulium favorem ac benevolentiam, vel Populi gra-  
tiam, quam aliis modis aucupabantur, quaesivisse *Tribunos  
plebis*, omnium concionum inspectio docet; sed propria  
voluntati suoque arbitrio & beneplacito indulserunt, &  
quod rectum & justum *plebis*, salutare sibi videretur, egerunt.  
Confirmat hanc sententiam Oratio *M. Duillii, Tribuni plebis*,  
quam, ubi potestati Tribunitiæ modum fecisset, habuit.  
Hanc brevem satis, magni tamen cumpr. ob omnes blandi-  
endi benevolentiamque captandi formas, ponderis & sum-  
mæ auctoritatis huc transferre lubet: *Et libertatis nostræ, &  
poenarum ex inimicis satis est. Itaque hoc anno nec diem di-  
ci cuiquam sumpassurus. Nam neque vetera peccata repeti  
jam*

*jam oblitterata placet, quum nova expiata sint decemviro-  
rum supplicis, & nihil admissum iri, quod vim tribunitiam  
desideret, spondet perpetua Consulum amborum in libertate  
nostra tuenda cura. Liv. Lib. III. Cap. 59.*

s. VII. Plane recedere *Eloquentiam Tribunitiam* hac in parte a receptissimis Rhetorum regulis & præceptis, quibus captationem benevolentiae tantopere urgent & inculcant, formas etiam excerpunt ex optimis quibusque Oratoribus, quibus uti debeat futurus Orator, & Auditorum gratiam sibi comparare, apparet: Exordia enim, quæ complectuntur benevolentiae captationem, omittunt, nullasque regulas, quarum plurimæ ab Oratoribus suppeditantur, adhibent, præter illam, qua nonnunquam rei vel utilitatem, vel necessitatem proponunt. Quatuor vero fontes captandæ benevolentiae ostendit Bekkerus: Favens, inquit, redditur auditor, vel ex persona ipsius Oratoris, vel ex Auditorum ipsorum, vel ex adversariorum persona, vel denique ex re & negotio presenti. Ex propria persona captas benevolentiam, si Te moribus Auditorum accomodes, si modestiam præferas, si Tua merita, dignitatem, virtutem modestissime enumeres; (si quidem enumerari debent.) Ex persona auditorum: Si eorum in Reipublica merita vel in te, vel in alios, aut dignitatem aut virtutes enumeres. Ex adversariorum persona, si eorum vitia aperias & Auditoribus insensos facias, modeste tamen, & quasi injuste criminando eos: Non enim gravis criminatio forte esset placitura. Ex negotio seu re proposita, si dicas, Rem celebrem esse, necessariam, utilem &c. *Art. Orat. P. I. Cap. II. Qu. 5.*

s. VIII. Ad hos quatuor fontes si examinabimus *Eloquentiam Tribunitiam*, ex tribus prioribus nunquam deductam cognoscemus: Contrarium potius patet ex *Oratione L. Decii, Trib. pleb.* qui non modo ingratum animi populo exprobrat, sed & merita sua admodum extollit, sequentibus uni-  
ver-



versum populum R. compellans verbis: *Auditis Quirites, sicut seruis malum minantem militibus? tamen hac bellua dignior vobis tanto honore videbitur, quam qui vos urbe agrisque donatos in colonias mittunt, qui sedem senectuti vestre prospiciunt, qui pro vestris commodis adversus tam crudeles superbosque adversarios depugnant. Incipite deinceps mirari, cur pauci jam vestram suscipiant causam, quid ut a vobis sperent? an honores? quos adversariis potius, quam Populi R. propugnatoribus datis. Ingemistis modo voce hujus audita. Quid id refert? Jam si suffragium detur, hunc, qui malum vobis minatur, iis, qui agros sedesque ac fortunas stabilire volunt, praeferetis. Liv. Lib. IV. Cap. 49. Tertium, quod movit Bekkerus, nimium saepe excefferunt Tribuni, in vitiiis nimirum adversariorum depingendis. Ita invisos admodum Patres plebi reddere studet C. Canulejus, Trib. pleb. sequenti concionis suae ad plebem pro rogationibus promulgatis initio: Quantopere vos, Quirites, contemnerent Patres, quam indignos ducerent, qui una secum urbe intra eadem moenia viveretis, saepe equidem & ante videor animadvertisse. Nunc tamen maxime, quod adeo atroces in has rogationes nostras coorti sunt. -- Ecquid sentitis, in quanto contemptu vivatis. Lucis vobis hujus partem, si liceat, adiuvant. Quod spiratis, quod vocem mittitis, quod formam hominum habetis, indignantur. Liv. Lib. IV. Cap. 3. Nescio, quibus verbis magis invidiosos reddere potuisset Patres Plebi, sibi que & Collegio plebem devincire, gratiamque ipsius consequi.*

§. IX. Consules e contrario omnem lapidem movebant, praecipue cum Tribunitia potestas multum excrevisset, ut in concionibus ipsorum suprema semper esset lex gratia & benevolentia populi. Quare formis phrasibusque mollioribus usi sunt, voluntatem suam plebis arbitrio & decreto sub-

B

jece-

jecerunt, & in adhortationibus, si qua opus fuit, dulcissima & amicissima commiscuerunt verba. Exemplum subministrat insignis Oratio Horatii Consulis, qua milites ad fortiter pugnandum adversus Sabinos mellitis hifce verbis compellavit: *Si jam satis animi est, discernique placet, agite dum clamorem, qualem in acie sublaturi estis, tollite hic, indicem voluntatis, virtutisque vestrae.* Liv. Lib. III. 62.

§. X. Non vero propterea Consularis dignitatis Viros muneris sui ac inde proficiscentis auctoritatis plane oblitos fuisse judicamus, ut potius non raro potestatis & Majestatis suae radios sparsisse affirmemus, intermixtis saltem blandiendi formis. Ita comparata est Oratio T. Quintii Capitolini, quartum Consulis ad populum R. quae licet satis gravitatem muneris splendidissimi tueatur, regulis tamen benevolentiam procurandi supra ex Bekhero allatis maxime utitur, ita ut ex sua non modo persona argumentum deducat; verum etiam ex adversariorum ipsorumque Auditorum persona. Vitae enim suae integritatem proponit, nulliusque se mali conscium esse ingenue coram tota concione populi gloriatur: Adversarios deinceps aggreditur, & belli causam satis turpem describit: Tandem Populi merita virtutesque laudat & extollit verbis sequentibus: *Etsi mihi nullius noxae conficius, Quirites, sum, tamen cum pudore summo in vestram concionem processi. -- Quem tandem ignavissimi hostium contempseret nos consules? an vos Quirites? Si culpa in nobis est, auferre imperium indignis: et si id parum est, in super pœnas expetite. Si in vobis, nemo Deorum ac hominum sit, qui vestra puniat peccata. Quirites, vosmet tantum pœniteat. Non illi vestram ignaviam contempseret, nec suae virtuti confisi sunt, quippe tories fusi fugatique, castris exuti, agro mulctati sub jugum missi & se & nos novere. -- Vellem equidem vobis placere, Quirites, sed multo malo vos salvos esse.* Liv. Lib. III. Cap.

Cap. LXVII. Ex qua tota Oratione nulla alia refulget ratio, quam populi gratiam consularis Magistratus supremam legem fuisse. Idem sentiendum de Dictatoria Eloquentia, cujus tamen argumenta moventia magis in causæ delineatione, quam verborum mollitie reposita erant.

§. XI. Alio prorsus genere dicendi gaudet *Tribunitia Eloquentia*, cum talem indicat stylum, qui totus ad auctoritatem & Majestatem factus est. Tria enim quæ requirit Cic. de offic. I. in illa reperias, gravitatem scilicet, ornatum, splendorem. Nil nisi vigor Oratorius, sublimitas, magnificentia elucet. Tria in pulcherrima illa Menenii Oratione ad seditiosum populum placandum concilian dumque elaborata, de qua apud Florum Lib. I. Cap. 23. observat Rupertus, quæ a Legato expectentur, qui ad partes dissidentes conciliandas missus sit: Primo, ut gratia valeat apud eam partem, ad quam mittitur: Tum, ut facundia omnes antecellat; & denique singulari prudentiæ dono præditus sit. Ternarii hujus numeri characteres exacte expressi reperiuntur in Eloquentia Tribunitia, qua florentes ad sedandos non modo tumultus, quod summæ artis erat, sed & defendendam ac tuendam plebem nati educatique fuerant.

§. XII. Character animi Tribunitii, qui erat,  
*Αἰὲν ἀριστέων, καὶ ὑπέροχον ἔμμενοι ἄλλων*, ut ait Homerus Iliad. ζ. ex characterè dicendi abunde elucet: Quid enim characteres Oratorum aliud sunt, quam *imagines quædam animorum, per externas notas a scriptore expresse & designate*, ut loquitur Jo. Schefferus in Gymnasio styli. Quare facillimum est ex dicendi characterè æstimare ingenium Tribunorum. Non vero seditiosum omnium fuisse ingenium conciones testantur, quibus non tam tumultus ac seditiones concitare, quam effrenatam Optimatum post tempora Tarquiniorum libidinem in terga subditorum sæviendi frange-

re, Rempublicam pacificam reddere, plebis salutem ac libertatem tueri studuerunt. Confirmat hoc clausula Orationis C. Canuleji, Trib. plebis supra allatae sequentibus verbis concepta: *Itaque ad bella ista, seu falsa, seu vera sunt, Consules, parata a vobis plebes est, si connubiis redditis, unam hanc civitatem tandem facitis, si coalescere, si jungi miserique vobis privatis necessitudinibus possunt: si spes, si aditus ad honores viris strenuis & fortibus datur: si in consortio, si in societate Reipublica esse, si, quod aequae libertatis est, in vicem annuis Magistratibus parere atque imperitare licet. Si hac impedit aliquis, ferte sermonibus, & multiplicata fama bella: Nemo nomen est daturus: nemo arma capturus: Nemo dimicaturus pro superbis dominis, cum quibus nec in Republica honorum, nec in privata connubii societas est. Quid magis testari posset de ingenio Tribunatus ingenio? Necessè præterea erat, ut nonnunquam & inviti quærerent salutem populi, si salvam Majestatem suam auctoritatemque esse velent. Nisi enim plebis, cujus Patroni & Advocati erant, commoda quæsitivissent, actum de dignitate ipsorum penitus fuisset. Exprobrat itaque ingratum populi animum ipso populo L. Decius, Trib. pleb. in oratione quadam ad populum adversus M. Posthumium, Tribunum militum, cujus verba huc quoque cumpr. spectantia attulisse meminimus §. IX. Unde facile repeti possunt. Hinc Tribunitium auxilium, ac provocationem plebis Romanæ duas arces libertatis tuendæ nominat Icilius, Orat. adversus Appium ejusque decretum, ut sponsa ipsius extra domum Paternam maneret, quam reperias apud Livium Lib. III. Cap. XLV.*

§. XIII. Constitit vero auxilium Tribunitium in dicendi facultate, auctoritate, & potestate, quippe qua instructi unico illo & solenni Verbo: *Veto*, plus efficere poterant apud ipsum Magistratum Consularem, quam si nescio quo verbo  
rum

rum ambitu Patres ac plebem circumvenire aliquis intendere. Hæc erat illorum intercessio, quam Consulibus legem curiatam ferentibus accidisse ait Tullius de lege Agrar. contra Rullum 2. Cap. XII. Aliud exemplum suppeditat Livius Lib. IV. Cap. XXVI. ubi Senatus Tribunatum appellavit, e-  
jusque nomine Q. Servilius Priscus verba fecit ad Tribunos plebis sequentis tenoris: *Vos, Tribuni plebis, quoniam ad extrema ventum est, Senatus appellat, ut in tanto discrimine Reipublicæ Dictatorem dicere Consules pro potestate vestra cogatis.* Qua voce audita occasionem oblatam rati Tribuni augenda potestatis, intercedunt pro Collegio & gravissime pronunciant: *Placere, Consules Senatus dicto audientes esse: Si adversus consensum amplissimi ordinis ultra tenderent, in vincula se, dari eos, jussuros.*

§. XIV. Hinc nullus seditiosus dicendi Character exculpi potest; multo minus ingenii turbulenti & seditiosi; verum potius sublimis & magnifici Tribunos fuisse conjectari licet. Ad pacem enim asservendam, dummodo non sub prætextu pacis plebis salus & libertas læderetur, promptissimi erant. Quod si vero vel minimum injustæ potentia testimonium de se exhiberent reliqui Magistratus, officii ratio postulabat, quippe cum Præsides Justitiæ & defensores libertatis plebis esse deberent, ut ratione quadam extra ordinem uterentur.

§. XV. Non vero Tribunis aut eorum dicendi seditioso generi jure adscribitur secessio plebis a Patribus quatuor vicibus facta; Primæ enim discordiæ, quæ ab impotentia fœneratorum orta est teste Floro, Autores esse non potuerunt, cum eo tempore nulli fuerint Tribuni; sed ideo plebs armata secesserit in Sacrum Montem, & inde reverti noluerit, nisi Tribunos impetraret. Nec svasores reliquarum secessionum fuere & causæ, sed omnis culpa in Patricios recidebat, quibus veluti a natura fuit inditum, ut occasionem liberam

naſti niterentur poſt Tarquiniorum metum adverſus plebem, eamque ſupprimere ſtuderent. Unde ſublata æqualitate Concordia quoque & quies tollebatur.

§. XVI. Sicut vero nihil in toto terrarum orbe reperitur, cui non aliquid vitii admixtum ſit, nullusque fere invenitur ſtatus, ſanctus etiam, cui non putrida quoque adhæreant membra: Ita non per omnia negamus ſeditioſum Saturnini, Druſi, Tiberii & C. Gracchi ingenium, quorum tamen poſtremorum cauſam ſe ſuſcipere videtur Salluſtius, dum eos excuſat, omnemque ſeditionis culpam in nobilitatem tranſfert his verbis: *Ubi primum ex nobilitate reperti ſunt, qui veram gloriam injuſta potentia anteponerent, moveri civitas & diſſenſio civilis, quaſi permixtio terræ, oriri coepit. Nam poſtquam Tib. & C. Gracchus, quorum Majores Punico atque aliis bellis multum Reipublicæ addiderunt, vindicare plebem in libertatem & paucorum ſcælerâ patefacere coepere: nobilitas noxia atque eo percuſa modo per Socios & nomen Latinum, interdum per Equites Romanos, quos ſpes ſocietatis a plebe dimoverat, Gracchorum actionibus obviam ierat, & primo Tiberium, dein paucos poſt annos eadem ingredientem Cajum, Tribunum plebis, alterum Triumvirum coloniis deducendis, cum M. Fulvio Flacco necaverat. Bello Jugurth. Cap. XLII.*

§. XVII. Eſt vero iniqua, ut cum Cicerone loquar, in omni re accuſanda prætermiſſis bonis malorum enumeratio, qua utitur Appianus de bellis Civilibus & Florus, qui omnis mali, quod Reipublicam Romanam vexarit, originem & cauſas dediſſe Tribunatum, affirmant. Poſterioris verba ſunt hæc: *Seditionum omnium cauſas Tribunitia poteſtas excitavit, qua ſpecie quidem plebis tuenda, cujus in auxilium comparata eſt, re autem dominationem ſibi acquirens, ſtudium populi ac favorem agrariis frumentariis, judicariis legibus aucupabatur. Inerat omnibus ſpecies æquitatis. Quid enim tam juſtum*

stum, quam recipere plebem jus suum a Patribus? ne populus gentium Victor orbisque possessor extorris aris & focus ageret. Quid tam æquum, quam inopem populum vivere ex ærario suo? Quid ad jus libertatis æquanda magis efficax, quam ut senaturogente provincias Ordinis equestris autoritas saltem judiciorum regno niteretur. Sed hæc ipsa in perniciem redibant, & misera Res pub. in exilium suum merces erat. Lib. III. Cap. XIII.

§. XIX. Æquius vero judicium tulit ipse Cicero, ubi ait: Ego fateor, in ista potestate inesse aliquid mali. Sed bonum, quod est questum in ea, sine isto malo non haberemus. Nimia est potestas Tribunorum plebis, quis negat? sed vis populi multo severior, multoque vehementior, que Duce[m] quod habet, interdum lenior est, quam si nullum haberet: Dux enim suo periculo progredi cogitur, populi impetus periculi rationem sui non habet. Leg. III. Cap. X. & paucis interjectis: Concessa plebi a Patribus ista potestate arma ceciderunt, restincta seditio est, inventum est temperamentum, quo tenuiores cum Principibus æquari se putarunt: In quo uno fuit Civitatis salus. Et Leg. Agr. 2. Cap. 6. Tribunum plebis præsidem libertatis appellat.

§. XIX. Omnium optime finem Eloquentiæ Tribunitiæ exponit & declarat Oratio P. Sempronii, Trib. pleb. quam habuit adversus Appium Claudium, quam propterea quantum huc facit trans scribamus, & finem labori imponemus. Reperitur autem illa Lib. IX. Liv. Cap. XXXIV. En, Quirites, illius Appii progenies, qui Decemvir in annum creatus, altero anno se ipse creavit; tertio nec ab se nec ab ullo creatus, privatus fasces & imperium obtinuit, nec ante continuando abstinit Magistratu, quam obruerunt eum male parata, male gesta, male retenta imperia. Hæc est eadem familia, Quirites, cujus vi atque injuriis compulsi extorres Patria Sacrum mon-

tem

*tem cepistis: Hac, adversus quam Tribunitium auxilium vo-  
 bis comparastis: Hac, propter quam duo exercitus Adventinum  
 insedistis: Hac, quæ scænebres leges, hæc, quæ agrarias semper  
 impugnavit: Hac connubia Patrum & plebis interrupit: Hac  
 plebi ad curules Magistratus iter obsepfit: Hoc est nomen mul-  
 to, quam Tarquiniorum, infestius vestrae libertati. Itane-  
 tandem, Appi Claudii, cum centesimus jam annus sit ab Ma-  
 merto Emilio dictatore, tot Censores fuerint nobilissimi, for-  
 tissimique Viri, nemo eorum XII. tabulas legit? Nemo id jus  
 esse, quod postremo populus jussisset, scivit? Immo vero omnes  
 sciverunt, & ideo Emilia potius Legi paruerunt, quam illi an-  
 tiquæ, quæ primum Censores creati erant: Quia hanc postre-  
 mum jusserat, & quia ubi duæ contrariæ leges sunt, semper an-  
 tiquæ obrogat noua. An hoc dicis, Appi, non teneri Emilia  
 lege populum, an populum teneri, te unum ex legem esse? --  
 Te nec quod dies exiit Censuræ, nec quod collega Magistratu  
 abiit, nec lex, nec pudor coercet. Virtutem in superbia, in  
 audacia, in contemptu Deorum hominumque ponis. Ego te,  
 Ap. Claudii, pro istius Magistratus Majestate ac verecundia,  
 quem gessisti, non modo manu violatum, sed ne verbo quidem  
 inclementiori a me appellatum vellem. Sed & hæc, quæ adhuc  
 egi, perveracia & superbia tua coegit me loqui: Et nisi Emilia  
 legi parueris, te in vincula duci jubebo: Nec cum ita comparatum  
 a Majoribus sit, ut Comitibus Censoris, nisi duo confecerint  
 legitima suffragia, non renunciato altero, Comitibus dif-  
 ferantur: Ego te, qui solus censor creari non possis,  
 solam censuram gerere patiar.*

F I N I S,







ULB Halle  
002 678 42X

3



86







1712 23 <sup>8</sup>/<sub>2</sub>

*Q. B. V. C.*  
AUSPICIIS RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
SERENISS. PRINCIPIS REGI  
FRIDERICI AVGVSTI  
**ELOQVENTIAM**  
**TRIBUNITIAM**

PRÆSES  
M. JO. STEPHANUS PILARIKIVS,  
VITEMBERGA SAXO  
IX. JD. QVINCTILEIS  
A. R. S  
C1D 10 CC XII.  
Exponet  
RESPONDENTE  
CHRISTIANO FRIDERICO DIETRICO  
Hundshubl. Mifn.  
H. L. C.

---

VITEMBERGAE SAXONVM  
PRELO SCHROEDERIANO

